

## **De melancholia hypochondriaca positiones ... / [Karl Joachim Freher].**

### **Contributors**

Freher, Karl Joachim, active 1677.  
Universität Basel.

### **Publication/Creation**

Basileae : Literis Jacobi Werenfelsii, [1677]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/htvchmd5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

QVOD BENE VERTAT  
PRIMVS ILLE MEDICINÆ PARENTS,  
IN AVGVRALES  
DE  
**MELANCHOLIA**  
HYPOCHONDRIACA  
POSITIONES,  
QVAS  
AVTHORITATE ET CONSENSV  
AMPLISSLIMORVM GRATIOSISSIMORVMQ.  
IN  
CELEBERRIMO ANTIQVISSIMO QVE  
RAVRACORVM ATHENÆO  
ASCLEPIADEÆ ARTIS PROCERVUM  
PRO SVM MIS IN ARTE MEDICA HONORI-  
BVS, PRIVILEGIIS ET INSIGNIBVS DO-  
CTORALIBVS CONSEQVENDIS  
AMICA VENTILATIONE EXAMINANDAS  
PVBLICE PROPONIT  
CAROLVS JOACHIMVS FREHERVS,  
NORINBERGENSIS.  
ADDIEM VII. SEPTEMB. AN. MDC LXXVII.  
H. L. Q. C,

---

BASILEÆ LITERIS JACOBI WERENFELSI.

V I R O  
NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO

D N. P A V L O F R E H E R O,  
MED. DOCT. EJVSDEMQVE COLLEGII,  
QVOD APVD NORIBERG. FLORET P.T.  
DECANO SPECTATISSIMO, ET AB O-  
CTENNIO JAM SENIORI GRAVISSIMO,  
PATRVO, PATRONO STVDIORVMQVE  
SVORVM PROMOTORI ÆTERNVM CO-  
LENDΟ.

Nec non

*VIRIS ADMODVM REVERENDIS,  
CLARISSIMIS.*

D N. M. JOH. JACOBO VBELIO,  
REFORM. OLIM QVÆ CHRISTO NORI-  
BERGÆ COLLIGITVR, ECCLES. NVNC  
BASIL. AD DIV. MART. PASTORI FIDE-  
LISSIMO, MERITISSIMO, AGNATO, HO-  
SPITI AC FAVTORI SVO OMNI HONO-  
RIS CVLTV PROSEQVENDO.

D N. M. JOHANNI STRVBINO,  
REFORMATI NORIBERGENSIVM COE-  
TVS PASTORI VIGILANTISSIMO, FA-  
CVNDISSIONIS, AGNATO, PATRONO, MV-  
SARVMQVE SVARVM MECOENATI, Æ-  
VITERNV M OMNI CVLTVS ET AMICI-  
TIÆ GENERE SVSPICIVNDO.

*Positiones has inaugurales*

In debitæ submissionis, obser-  
vantiae, gratitudinis Ami-  
citiæque symbolum.  
D. O.

CAROLVS JOACHIMVS FREHERVS.

Σὺν τῷ Θεῷ.

 **U**ANTA rationis, maximi illius à Deo, totius hujus universi conditoris, homini concessi doni, præstantia, quantaque dignitas sit, vel inde patefit; quod tūm solum homines nos esse cognoscamus, cūm rationem intuemur nostram; quod illius tantūm ope Deum T. O. M. universaque ipsius in hoc mundi amphitheatro opera, considerare valeamus; quod & ipsum Poëtarum ille facile Princeps scitè non minus quam eleganter l. i. Metamorph. his expressit verbis:

*Pronaqz, cum spectent animantia cœtera terram:  
Os homini sublime dedit; cœlumqz, tueri  
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.*

Quantum verò è contra rationis læsio miserandum præbeat spectaculum, vel illi sæpe sæpius testantur, qui vel furore corrupti, non aliis tantūm, verum sibimet etiam ipsis maxima affligunt damna, ut quid agant, ipsi nesciant: vel tristibus mœstisque & melancholicis intenti deliriis solitudinem quærentes, præ nimia sæpe anxietate vix spiritum ducere, clamare atque ejulare valent. Quæ ego omnia altius perpendens; de ultimo hoc horrido non minùs, quam pertinaci malo, Melancholia scilicet, in præsentiarum pauca quædam, pro ingenij tenuitate, proferre constitui: cumque illam ipsam primarii artis Medicæ coryphæi duplicem fecerint, per essentiam unam, alteram per consensum, priore missâ, ad posterioris, & quidem quæ per hypochondriorum consensum fit, explicationem me accingo.

### T H E S I S I.

**U**T autem ex nominis cognitione ad rem ipsam descendamus: vocatur Græcis Μελαγχολία ὑποχονδρία Arabibus Mirachialis; Latinis Melancholia hypochondriaca, fla-

A 2 tulen-

tulenta vel flatuosa, Germanis dicitur Missichtige Melancholie; prima ad stultitiam tonsura, ab aliis opprobrium flagellumque vocatur Medicorum; quod ob pertinacem humoris melancholici consistentiam curatio saepe sat longè retardetur.

II.

Nominorum horum ratio non incommodè desumitur à causa antecedente, humore scilicet melancholico in hypochondriis stabulante, vocabulo postea in ipsum affectum translato; subiectoque causæ antecedentis Hypochondriis scilicet, quæ ab Arabibus Mirach, & accidentibus supervenientibus, flatibus videlicet, quorum melancholia hæc alma solet esse mater.

III.

Melancholia Hypochondriaca delirium est periodicum fine febre, cum mœrore & tristitia, ex vaporibus melancholicis, (à melancholia præt. nat. in hypochondriis cumulata) elevatis, imaginationemque & ratiocinationem depravantibus, ortum trahens.

IV.

Delirium voco Melancholiæ Hypochondriacam; ut è numero morborum eam exturbem, cum delirium sit imaginatio- nis pariter & ratiocinationis depravatæ symptoma: Periodicum, cum lucida nonnunquam habeant intervalla, vaporibus scilicet velevacuatis, vel cerebro non communicatis: Sine febre est, cum timore & tristitia, ad differentiam reliquorum deliriorum, cum delirium sit vel cum febre; ut *Phrenitis* & quod simplex appellatur delirium; vel sine febre, quorum unum est cum furore & audacia; ut mania, alterum cum mœrore & tristitia; ut Melancholia: Causam addo, (quo melius natura ipsius patefiat,) antecedentem, humorem scilicet melancholicum præt. nat. Subiectum ipsius Hypochondria, pariter & causam continentem, quæ vapores sunt ex vituperato demum humore orti, squaloreque suo & impuritate spiritus animales turbantes.

V.

Cum verò in omni affectu partis affectæ cognitio prima debeat esse atque primaria, consideratu hic non erit injucunda pars recipiens, mandans, & viæ per quas. Recipiens pars vapores

pores, s. per consensum affecta, extra dubitationis aleam cerebrum est, principum illud facultatum domicilium, quarum nobilissimæ actiones h̄ic depravari liquido constat.

#### VII.

Cum verò melancholia, ut dictum delirium sit cum metu & tristitia, & dum iracundia, (Fernelii h̄ic utor verbis,) doloribus, gaudio, metu, cœterisque animi perturbationibus concutimus, perspicuè atque insigniter cor in nobis opprimi atque gestire, animique perturbationes in corde fieri videamus, cor ab ipsius participatione non omnino exterminandum censeo; quod & quæ frequenter in hoc affectu accident cordis palpitationes, manifestè demonstrant.

#### VIII.

Pars mandans sunt Hypochondria, (ita dicta: quia sunt ὑπὸ τῶν χόρδων, sub notharum costarum cartilaginibus,) quæ illam corporis complectuntur regionem, quæ est inter costas nothas & ad imum usque ventrem pergunt; partesque præcipue in illis contentæ, quæ licet omnes in hoc casu affici possint, lie nem tamen maxime, proprium utpote humoris melancholici conceptaculum, dein & quæ proximè circum circa hærent viscera, partes affectas cōstituo, ut: ventriculum, pancreas &c. mesenterium, glandulasque in illo residentes, quæ, ut substantiæ sunt mollioris, ita facilius humorem imbibunt, imbibitum verò semel difficilius deponunt; cavitatem præterea illam, quam Divus ille Cous Sect. 7. aph. 54. inter ventriculum & septum constituit. Ventriculum tamen cùm Galeno lib. 3. de loc. affect. Dioclem insequente, partem primario laborantem non constituo, apparentibus et si ut plurimum ventriculi debilitati signis; sed vitia aliarum partium hepatis, lienis &c. ipsi communicari, inferius ubi de causis hujus symptomatis agendum, demonstrabitur.

#### VIII.

Cum verò hypochondriorum h̄ic facta sit mentio; ad vias antequam accedamus, hanc subjungere liceat differentiam: hypochondriacæ videlicet passionis à Melancholia Hypochondriaca, illa latius patet quam h̄ec, siquidem hypochondria affici facile possunt, nec à dicto tamen sæpius humore.

## IX.

Viæ per quas vaporess dicti ex inferioribus ad superiores ferruntur partes manifestæ, multorum etiam eruditissimorum haec tenus torserunt ingenia, multique multas assignarunt; sed qui cum Hippocrate, Galeno præcipuisque artis nostræ coryphæis facilem inferiorum cum superioribus per venas, arterias & nervos consensum, totiusque (dum vita fruitur,) corporis perspirabilitatem fana mentis trutina perpendet; illi citò ci-  
tiùs hæc omnia manifestabuntur.

## X.

Differentiæ à variis variæ traduntur: è quibus tres potissimum sequentes ad scopum facere videntur: 1. à loco affecto, 2. à causa, 3. à deliriorum varietate: ratione loci affecti alia est splenética, alia uterina, alia mesenterica, hepatica &c. prout nunc hæc nunc alia pars magis laborat; ubi tamen vix fieri posse, quin malum hoc mox m. lieni, humoris utpote melancholici proprio stabulo communicetur, existimo. Ratione causarum ortum habet alia à bile præf. nat. vitellina, æruginosa &c. adusta, in attramque degenerante, quæ ferocior reliquis existere solet, alia à sanguine crasso & adusto, quæ mitior; alia à melancholia adusta.

## XI.

Tertiam differentiam ipse monstrat Galenus loco supra citato: Melancholicos, inquit: (de Hypochondriacis verò ipsi sermo est:) ut nunquam deserit timor: ita eorum phantasmatà præter naturam non semper eodem genere continentur; siquidem aliis se testam factam putavit, atque idcirco obviantibus cedebat, ne collideretur. Alius, ne Atlas, qui mundum sustinere dicitur, gravatus sub tanto onere, illum à se excuteret, atque ipse cum eo comminueretur, pertimescebat. Differunt porro inter se melancholici: nam omnes timent, mœrent, vitam damnant, odio habent homines, sed non omnes mori cupiunt. Quippe hoc ipsum nonnullis melancholiæ caput existit, quod pertimescunt mortem. Sunt qui & mortem metuant & mortem sibi conscient. Quibus ego inferius, ubi de causis deliriorum varietatis, (quas præstat, quam exempla plurima nosse,) agendum nobis erit, unum & item alterum adjiciam.

## XII. Cau-

### XII.

Causæ Melancholiæ Hypochondriacæ dividuntur in continentes, antecedentes & procatarcticas.

### XIII.

Causa continens sunt vapores melancholici & impuri, ex hypochondriis elevati mentis arcem petentes, spirituum animalium officinam coinquinantes, mœroremque & tristitiam inibi induentes.

### XIV.

Quo verò vapores isti modo timorem & mœstitiam rationis sedi imprimere possint; abstrusum admodum est: Averrhoës vestigiisque ejus inhärentes, causam hujus timoris in frigiditatem & siccitatem humoris melancholici reponunt; tantumque ajunt: unum quemque habere audaciæ, quantum habet calor: Cùm tamen humor melancholicus hoc in casu calidæ satis sit naturæ, quod hypochondriorum æstus manifestè testatur: frigiditatem tamen aliàs ad timorem induendum facere, non negaverim: Non desunt etiam, qui in peculiarem humoris hujus vaporumque malitiam causam referunt.

### XV.

Galenus in fine lib. 2. de sympt. caus. dum in colorem tētrum aut tenebricosum causam timoris rejicit, in hæc erumpit: Quod verò atrabilis rationalem animæ arcem occupans, timorem, mœstitiam, ac mortis exspectationem inducat, nihil mirandum est, cum videamus in rebus externis nihil magis nos, quam tenebras ipsas perterrefacere. Si igitur quipiam tenebris simile rationali animæ parti circumfundatur, hominem semper timere, necesse est; ut quia timoris causam semper in corpore secumferat. Quæ verba si despirituum animalium tenuitate, mobilitate atque puritate intelligentur, sicut tenebræ è contra impuritatem & obscuritatem denotant; optime rem exprimere videntur: Non <sup>enim</sup> non sufficit, ut copiosi tantum sint spiritus, sed, ut & in primis & secundis qualitatibus optimè sint dispositi, requiritur: Sicut enim spirituum opticorum tenuitas & oculi requiritur perspicuitas ad videndum; ita & hic spiritus animales nisi puri atque tenues sint, actionibus illis principibus non commodè inserviunt; repræsentantur siquidem

dem ita objecta ratiocinationi per spiritus impuros ac imper-  
spicuos, quemadmodum imagines per vitrum obscurum, qui  
fit ut timor oriatur & tristitia: Ac etiam si anima, quod objicit  
**Averrhoës**: non videat illam obscuritatem, splendidi tamen  
spiritus sub magis delectabili specie objecta offerunt, cum è con-  
tra spiritus tetri, tristia rerum phantas mata animo repræsen-  
tent.

## XVI.

Ratio hinc deducitur cur melancholici tam solitudinum sint  
amantes: cum scilicet per vaporum obscuritatem viscosita-  
temq; spirituum illa alacritas extinguitur, hominum alacrio-  
rum sese consortia fugiunt. Accedit & illud; quod nimis  
suis intenti cogitationibus ex aliorum praesentia impediri se-  
se autument.

## XVII.

Succedit & hinc alia ratio: unde deliriorum istorum melan-  
choliā hac correptorum varietas, quæ certè profectò tanta est,  
ut deliria hæcce vigilantium somnia verè dici mereantur, or-  
tum trahat: Dum pistor quidam Ferrariensis (recensente id  
Marc. Don. de Hist. Med. mirab. l. 2. c. 1.) se ex butyro compactum  
affirmabat, nulloque pacto igni vel clibano appropinquare vo-  
lebat, corporis colliquationem metuens: & Joh. Bapt. Mont.  
consil. 23. reliquit: se vidisse quandam, qui totam mundi super-  
ficiem, ex subtilissimo imaginabatur vitro, & subditos esse ser-  
pentes; seque propterea in lecto, tanquam in insula, ne, si inde  
egrederetur, frangeret vitrum incideretque in serpentes, conti-  
nuit. Cujus rei causam aliqui in vaporum melancholico-  
rum corporisque & naturæ varietatem referunt: Alii simile  
quid iis, quod ebriis evenire scribunt, idque ex negotiorum an-  
te tractatorum recordatione.

## XVIII.

Omnium optimum simile Aristot. lib. de insomniis cap. 3. in  
medium proferre videtur, dum sic: Quemadmodum in aqua  
commota aut nulla effigies redditur, quæ appareat, aut reddi-  
tur quidem, sed obscura & tortuosa; quiescente autem & sta-  
gnante aqua, rei nativa imago appetit: ita dormientibus &  
delirantibus idem evenit: dum enim vapores in arce cerebri  
hincinde errantes illius spiritus turbant, imaginum ibi series  
vel

vel planè obliterantur, vel non nisi ab humanâ prorsus mente aliena exhibentur; idque eo magis, quo vaporess magis sunt improportionati.

### XIX.

Causa antecedens est humor melancholicus in partibus hypochondriorum dictis cumulatus, unde vapores ad cerebrum feruntur; quod cum non continuo fiat, delirium quoque perpetuum non est, sed per temporis quædam spatia, quæ lucida Medicis intervalla, rediens, sequentibus in signis diagnosticis symptomatibus ægrum affigit.

### XX.

Humor tamen hic melancholicus minimè naturalis est, quarta massæ sanguineæ pars, sed præter naturalis; neque frigidus etiam est, sed multum de calore participat; non ob multis tantum partes falsas admixtas, sed quod ex aliis humoribus exustis, torrefactis ac moram hic trahentibus, bile, putta, sanguine crasso, melancholia, vitium trahat; Ab aliis nomine atræ bilis veniens.

### XXI.

Neque purus etiam & sincerus humor ille est, sed multis aliis, iisque vitiosis permixtus est humoribus, biliosis scilicet præcipue & serosis, unde & lixivio cui sal, fœculentæ & exustæ aliæ partes permiscentur optimè comparatur. Hinc & ab Hippocr. lib. 1. de morb. mulier. de Genitur. & lib. 4. de morb. ὕδωρ aqua nominatur, non aliam, ut doctissimi interpretes sentiunt, ob causam, quām quod magna serorum salorumque ipsi humoris sit admixta copia. Unde facile patet ratio; cur melancholici plerumque sint sputatores, multum fudent, multumque sæpè secundum Hippocr. medicamentis hydragogis leventur; quamvis & alia, deinde dicenda causa restet.

### XXII.

Aggregantur autem humores dicti ibidem ob lienis præcipue, hepatis &c. vitia tum idiopathica, ut intemperies tum simplices, tum compositas, scirrhos, obstructiones &c. ob quas materia stagnans copiosissimos ad cerebrum mittit flatus: tum sympathica; ut est præcipue magna ventriculi hepatis & lienis antipraxia, ut ir. de ventriculo non rectè concoquente, visceribus

ribus alimenta imperfecta attrahentibus, vitium primæ concoctionis non corrigatur in secunda.

### XXIII.

Causas procatarcticas omnes illas dico, quæ rerum non naturalium indecentem atque illegitimum præbent usum, ut sunt breviter: Aer crassus & nebulosus tum frigidus siccus, tum calidus siccus, regiones ac loca palustria, tempus anni autunmale. Alimenta crassa, cruda, concoctu difficultia & flatulenta, quæ breviter refert Gal. l. 3. de loc. aff. cap. 4. inter quæ magis nobis sunt usitata: caprinæ, bubulæ, taurinæ, hircinæ, leporinæque carnes, sale præcipue & fumo induratæ, pisces in aquis stagnantibus degentes: caseus, ova indurata: brassica, leguminæ & maximè lentes; mox panis furfuraceus nec bene fermentatus, vina austera, crassa, nigraque cerevisia turbida nec defœcata &c. aliaque innumera crassiori duriorique substantia prædita.

### XXIV.

Multum hîc quoque valet otium nimium, quod ut excrementa in corpore retineantur facit, unde variæ rursus obstrunctiones &c. vita sedentaria, lucubrationibus præsertim accedentibus assiduis, hinc literati & vitam laboribus vacuam degentes, frequentius hoc corripiuntur malo, minus laboriosi: Evacuationes ut mensum hæmorrhoidum &c. suppressæ, unde sanguinis hoc modo retenti fit refluxus qui postmodum in humorem prædictum facile degenerat.

### XXV.

Nec minus faciunt animi pathemata graviora & diuturniora, mœror præcipue & tristitia, cogitatio ac meditatio rerum gravium vehemens, ob quas spiritibus ad alia avocatis, coctiones debilitantur, humorumq; inutilium inutilis fit proventus.

### XXVI.

Signa diagnostica affectus hujus sunt plurima, non tamen omnia in omnibus contingunt; sed nunc plura nunc pauciora, pro affectus & partium affectarum gravitate & varietate. Pathognomonia sunt sequentia: Delirium periodicum animum excrucians, sine febre, fixa in rem falsa imaginatio, quam metus & tristitia, absque ulla tamen evidenter causâ comitantur. sec: Hipp. f. 6, aph. 23.

### XXVII.

## XXVII.

Affidentia sunt: Stomachus ut plurimum debilitatur, non affectu quidem (ut supra dictum) primario; sed à pravo potissimum quem per vasa recipit humore, & ab intercepta, per multas in vasibus obstructiones, calor is illius eventilatione; hinc ventriculus malè dispositus malè alimentum concoquit, quod vicissim in hypochondriis contentis visceribus communicatur: Hinc quia stomachi parietes tot humoribus crudis obducuntur, tot ructus & flatus: hinc materia illa sursum repens; os linguamque saliva replet, ut perpetuò expuere cogantur; quæ tamen expuitio frequens à causâ th. 20. allatâ non parum promovetur.

## XXVIII.

Alvus obstructa frequenter illos torquet, vel ob humidum visciditatem intestinis adhaerentium, vel à calore viscerum, excrementorum humiditates exsiccante. Æstus percipitur in hypochondriis maximus, ob humores in iis stagnantes fervidos & æstuosos. Nonnunquam etiam tensio, durities, & tumor ibi percipitur. Urinæ tenues quandoque, crassæ etiam quandoque: tenues sunt obvehementes urinæ viarum obstructiones, ut urina quasi transcoletur, crassa ob crassorum salinorumque humorum admixtionem; tuncque substantia quasi laterum solutorum in fundo matulæ colligitur arenularum formam mentiens, quæ tamen materia potius est adusta, sanguinis quoddam rudimentum naœta, nunc, tanquam excrementum inutile, ad vias urinarias transmissa.

## XXIX.

Cordis sæpius ægros affigit palpitatione, ob vapores illud pententes, quos dum propulsare nititur, violentius solito moverunt, tuncque omnino quasi de vita desperantes, auxilium anxiè quærunt: Prout enim vapores elati, nunc hanc nunc illam partem feriunt, diversa quoque in iis producunt symptomata, ut difficiliorem respirationem, sitim, dolorem capitis &c. Pulsatio quoque in sinistra hypochondriorum parte sæpe invadit; quæ ab obstructione ibidem decurrentis arteriæ cœliacæ pulsantis provenit, probeque à cordis palpitatione discernenda est, situ siquidem variat, illâ in sinistro hypochondrio, hâc infra papillam sinistram cruciante.

### XXX.

Prognosin quod attinet, lethalis melancholia hypochondriaca ut plurimum non est, affectus utpote chronicus, curatunque, præcipue si inveteraverit, difficillimus; quod ob humoris pertinaciam, & in angustioribus viis, quo minima medicamenti vis penetrat, hæsionem, benignioribus vix cedat, valentioribus verò sæpius exasperetur. Hæ morhoides apertæ, varices item præsentes, juxta Hipocr. sect. 6. aph. II. it. sect. 6. aph. 21. bonum præbent signum. Alvum apertam, mensium fluxionem, urinas crassas adesse non contemnenda signa sunt restauracionis, cum hac ratione multi humores inutiles è corpore eliminantur.

### XXXI.

Vertigo verò, diurna cephalalgia & melancholia jam idiopathica facta, in epilepsiam, maniam, cœcitatem, imo & cerebro videlicet valdè corruptō, in Apoplexiā degenerat, juxta Hipocr. mentem sect. 6. aph. 54. Licet nonnunquam ob humorum depravationem, deperdito jam nativo viscerum calore, in hydrozem abeat.

### XXXII.

Ad curam autem ipsam antequam accedamus; non superfluum sit & hoc considerare: Ne scilicet Medicus solus ægros hujusmodi accedit; sed etiamsi aliis stipatus, probè ipsorum oculos, manus, pedes observet; cum multi etiam quieti, ecce subito furore quasi suo attoniti, præcipites se se dant, adstantiumque oculos involant.

### XXXIII.

Curatio secundum indicationes, ad quas ceu ad Lydium illum lapidem, sapienti Medico semper respiciendum, instituitur: sunt verò tres Præservatoria à causa; Curatoria à morbo Vitalis à viribus deprompta.

### XXXIV.

Hâc scilicet ratione obstrunctiones in hypochondriis aperiuntur; humor peccans præparetur & evacuetur; vapores spirituum animalium officinam turbantes, intercipiantur ac disipentur; non omissis iis quæ tamen capitis quam reliquorum viscerum in hypochondriis præsertim contentorum vires ac robur conservare valent.

### XXXV. Sa-

### XXXV.

Satisfaciendum verò hisce est, adhibito prudentis mædici judicio, ex tribus nobilissimis instrumentis medicis, quibus hostem debellare valemus, Chirurgia scilicet, pharmacia, & Diæta.

### XXXVI.

Ex chirurgia quidem omnium primo nobis sese offert Venæ sectio, si sanguinis adsit abundantia, præmisso tamen clystere emolliente & benigno; fiat verò illa in brachio dextro vel potius sinistro, hepatis vel lienis vitio magis urgente, in venâ post ligaturam maximèturgente, foramineque ampio, ut sanguini crassiori liberalior detur exitus, occurrente verò sanguine tenuiore mox claudatur: Vel in partibus inferioribus, cum sursum mittantur vapores, qui deorsum retrahendi, crassus etiam sanguis deorsum magis, quam sursum feratur, sicque intemperiæ viscerum calidæ prospicitur, portio humoris vitiosi evacuat, ut attenuantia postea & incidentia majorem præstent usum.

### XXXVII.

Hæmorrhoidum tam internarum quam externarum aperitionem plurimum hic facere experientia testatur: Fiat vero illa vel sectione vel hirudinum decenti applicatione, & subsistentibus illis, vel etiam mensibus, Vena Saphæna pedis aperienda est. Cucurbitulæ quoque cum & sine scarificatione, non inutiles sunt scapulis applicatæ, materiæ intercipiendæ & à capite divertendæ gratia: Causticum etiam aliqui tibiæ inurunt finistræ, ut ab humoribus ex clementitiis lienem aliaque viscera repurgent.

### XXXVIII.

Ex pharmacia sequentia depromantur: Lenientia, ut clysteres, ex radic. Alth. lilior. alb. &c. Herb. lupul. malv. parietar. mercur. &c. Sem. lin. fœnugr. &c. Ficub. in ser. lact. coct. additis electuariis & oleis mitioribus, ut: Viol. Chamæm, ante usum etiam V.S. administrentur.

### XXXIX.

Ad præparantia dein accedendum; quæ humorem melancholicum attenuant & incidunt, ab obstructionibusque viscera liberant: quæ cum calidioris plerumque sint naturæ; admiscenda sunt, quæ calorem istorum, (humoris enim etiam calor

sæpe sat insignis est,) temperant: Obstructiones aperiunt sequentia; v.g.

R<sub>x</sub> Rad. Aspar.

Acetos.

Gramin. ana. 3j.

Fragor.

Liquirit. ana. 3β.

Cort. med. Fraxini. 3vj.

Tamar. 3ij.

Herb. Cuscut.

Ceterach. ver.

Lingv. cerv.

Fumar. ana. mj.

Sem. Anis.

Fœnic.

Cucurb.

Melon. ana. 3ij.

Flor. Barrag.

Bugloss.

Viol.

Genist. ana. pj.

F. Decoct. in q.s. fer. lact. ad 15j. incolat. clar. & arom.

Spec. Aromat. ros.

Diamarg. frig. ana. 3β.

Solv.

Syr. capill. Ven.

de Fumar. an. 3jβ.

Cort. Citr. 3j.

F. Apozema pro 4. dos. mat.

Vel prosum etiam juscula alterata Rad. s. aper. Aspar. cichor. borrag. bugloss. Herb. Cent. min. Fumar. &c. quibus non incommode additur Crem. tart. ad 3j. vel Spir. Vitr. gutt. aliquot. Conducunt quoque Vina medicata, eo maximè tempore, ubi caput non valdè tentatur vaporibus, v.g.

R<sub>x</sub>. Rad. 5. aper. ana. 3ijβ.

Bugloss. 3ij.

Cort. Tamar.

Cappar. ana. 3jβ.

Herb.

**Herb.Beton.**

Ceterach.ver.an.mj.

Cuscut.

Agrim.ana.mß.

Sumit.Cent.min.

Flor.borrag.ana.pij.

Sem.Anis.3ij.

Pœon.excort.3ß.

**Incisa** & contus. gr. mod. infundantur invin. alb. unius  
an. tib. iiiij. stent bene obturata , cuius 3iiij.l.3v. capiat prodosi  
manè jejonus. Externè convenient: Sacculi, cataplasmata,  
fotus,& linimenta ex convenienti parata materia.

**X L.**

Vbi de obstruentium verò metuitur caliditas sub vesperam  
sequenti v.g. ut atur Julepo refrig. intemperies viscerum cor-  
rigente & roborante

Ry. Aqv.Borrag.

Bugloss.ana.3j.

Syr.Citr.

Viol.ana.3ß.

Spir.Vitr. q.s.ad grat.acid.

M.F. Julep.pro i.dosi.

Cui addim.potest Conf.ALK.3j.vel, pro ditior.Ambr.gryf.gr.ij.

**X L I.**

Præparato ita humore ad ipsius evacuationem accedendum:  
evacuatur verò commodius per inferiora sec.aph.9.s.4. ubi for-  
mam liquidiorem magis convenire existimo,v.g.

Ry. Rad Fœnic.

Graminis.

Fragor.ana.3ß.

Herb.beton.

Meliss.ana.mjß.

Sem.Anis.3iiij.

Flor.borrag.

Viol.ana pj.

Fol.Senn.dilig.mund.3j.

Crem.tart.3j.

F.Dec.in aq.font,q.s.colat.3vij;

divi-

dividantur in 2. part. æqv. in quar. i. solv.

Syr. ros. sol. simpl. 3j.

M.F. Potio.

Cumque humor hic peccans majoris sit pertinaciæ, quam ut unicâ purgatione eliminari possit, frequentius repetenda est purgatio, eaque non valentibus admodum medicamentis fiat, sed mitioribus, ut: quæ parantur ex Senna polypod. &c. helleboro etiam nigro, quibus & Jalappa &c. ob admixtum serum addi potest.

#### XLI.

Nec vomitoria rejicienda censeo, si major circa ventriculum materiæ pars fluctuet, nihilque contra indicet, experientia si quidem comprobatum est, crassissimos sæpè hâc viâ evacuatos esse humores, ex mitioribus tamen materia illorum sit de-prompta necesse est. Nec diureticis omnem vim adimo, cum supra dixerimus, magnam serosi humoris ipsi admixtam esse copiam; animadvertisendum tamen, ut sæpius adhibeantur al-vum ducentia medicamenta; ne crassiores relinquuntur, ten-nuoribus evacuatis partibus.

#### XLII.

Humore sic præparato & evacuato, quæ restant adhuc, ob-strictiones tollendæ sunt, ubi varii varia tradunt, Chalybs tam-en & quæ exinde optima parantur medicamenta, uno ferè omnium ore summè prædicatur, de quo videantur authores. Cùm verò & obstrunctiones tollentibus emollientia sint per-miscenda, balnea aquæ tepidæ conveniunt, quibus solis victu-que humido & boni succi, nullo alio adhibito præsidio multos se curasse testatur Gal. l. 3. de loco aff. c. 4. Ne verò ventriculo balnea illa noceant, ol. caryoph. nuc. mosch. &c. ille inungen-dus, nec ingrediatur æger illo die balneum, quo purgatio repe-titur. Thermæ hic non prosunt; quia dum nimis exsiccant viscera, humorē reddit contumaciorem.

#### XLIII.

Commendatur etiam summè in hoc effectu serum lactis caprini, cuius ratione, & viscerum aperiuntur obstrunctiones, & calida eorum emendatur intemperies, ante ejus verò usum æger purgetur, & post 7. dies rursus: Sumatur scilicet lac caprinum

ve-

vespertinum, quod serosius matutino, manè pulpæ Tamar. ali-  
quid iniciatur, quæ bulliant simul super ignem, ut quod puri s-  
simum, separari possit, calideque exhibeatur eâ quantitate quæ  
ventriculi robori analoga, incipiendo circiter ab 3v. & ascen-  
dendo ad 1b. vel ultra, rursusque eodem modo descendendo,  
post pastum sumat æger de pulvere aliquo digestivo. Si usum  
laetis æger respuat, ad acidularum usum veniendum, quæ eun-  
dem sæpè effectum optato obtingunt cursu, earum verò usu  
perdurante ventriculus sacculis, &c. muniendus. & ne nimis  
debilitentur viscera, de sequenribus v.g. tabellis sumendum.

Bz. Spec. Aromat. ros.

Lætif. Gal. ana. 3jß.

Diambr. 3j.

Sacch. alb. in aq. borrag. sol. 3iiij.

M.F.l.a.tabellæ.

X L V.

Interea verò dum hæc aguntur partes omnes roborantia mi-  
nimè negligenda sunt: v.g. Cinamom. Nux mosch. Spec.  
dialacc. arom. ros. diaxyl. diambr. Troch. de cep. de Abs. Conf.  
Alkerm. &c. ex quibus varia, decenti indicationum habito re-  
spectu, pro ægri etiam lubitu, præscribi possunt; ut:

Bz. Conserv. Flor. beton.

Anthos. ana. 3vj.

Borag.

Buglos. ana. 3iij.

Condit. rad. calam. arom. 3ß.

Cort. citr. 3ij.

Ambr. grys. gr. ij.

Syr. Citr.

de Stœhad. ana q. f.

M.F. Elect. moll. ad form. opiat. de qua  
æger sæpiùs capiat magnit. nuc. mosch.

X L VI.

Hisce omnibus non procedentibus, ægrum aliâ vincere astu-  
tiâ interdum convenit: Sic Alex. Trallianus virginem serpen-  
tem se devorasse putantem, serpentem in vase clam jussit poni,  
fæcesque super eam exernere, quâ etiam ratione serpentem se

C

depõ-

depositisse putantem, pristinæ restituit sanitati. Eadem ratione, si quid simile sibi imaginetur æger & nos procedamus, ut falsâ sic se positâ imaginatione facile redintegretur.

### X L V I I.

Ex fonte Diætatico, qui plurimūm hic facit, sequentia conducibilia profero: In aëre degat æger temperato, ad humiditatem tamen inclinante, non crasso, nec caliginoso; sed lucido suaveque olente, si non natura tamen arte: ex conclavi omnes picturæ, aliæque res alienæ eliminantur, ne æger varietate objectorum commotus, fixiori, quam parest, in ea intentione feraatur. Cibus exhibeaturo concoctu facilis, moderatè corpus humectans, cui semper modicè carminantia adjicienda: Carnes sint elixæ, vel mediocriter assatæ, avicularum montanarum, gallinarum, caponum, vitulinæ etiam adhuc & agninæ carnes conceduntur, quibus ova sorbilia accensenda; pisces improbantur, viscidam præsertim carnem & cutim habentes, saxatiles tamen, ut funduli, percæ, lucii, &c. conceduntur. Ex oleibus profunt spinachia, lactuca, Acetos. Aspar. lupul. cichor. borr. bugl. capp. Improbatur verò fructuum maxima pars, ut: fungi, tubera, extremitates quoque animalium, quia glutinosum & viscidum præbent alimentum, Lac quoq; sec. Hipp. f. s. aph. 64. quibus hypochondria elata sunt aut murmurantia malum. Potus sit vinum album, vel cerevisia clara lupuloque bene condita, vel decoct. ex rad. Gram. acetos. frag. cum paull. pauc. cinam. l. sem. Anis. Vinum hornum & cerevisia nondum defœcata cane pejus & angue fugiantur.

### X L V I I I.

Somnus, cum corpus animumque reficiat, moderatè concedendus, non tamen sit meridianus, siquidem cruditatibus generandis est aptissimus, nec mox ab assumpto cibo, si urgeat, per emulsiones & pediluvia provocandus. Exercitia corporis moderata per loca invidia & amœna, cum alimentorum distributionem promoteant, non sunt contemnenda, sint verò ante pastum, nec cibus illa statim excipiat.

### X L I X.

Excreta omnia respondeant: alvus præsertim semper laxa servetur, quæ si non sit, aperiatur l. clyster, l. in parato semper sint medi-

medicamenta, ut : syrups aliquis magistralis, & alia, ne tædi-  
um unum idemque afferat, sitque v.g. seq.

Ry. Fol.senn.dilig.mund. 3j.

Sem. Anis.

Crem.Tart.ana.3j.

Incisa & contusa indantur sacculo & coq. cum prunor. dule.  
suff. quant. invin. alb. & aq. ana. ℥. adde sacch. & Cinam.  
parum. de jure cum prunis aliquot capiantur cochlear. v.l.vj.  
Summopere etiam commendatur Terebinth. cypr. quæ avella-  
næ magnitudine tribus ante cibum horis sumenda , præter-  
quam enim quod alvum subducat, obſtructiones aperit & ab-  
ſtergit. De Mensibus & hæmorrhoidibus jam dictum.

L.

Animi pathemata turbulentiora ut ira, metus, mœſtitia fu-  
giantur, in primis etiam solitudo: Animus è contra ad læti-  
tiam erigatur blandis persuasionibus, jucundis conversationi-  
bus aliisque; interdum etiam ut objurgetur æger, convenit, ut  
se errasse cognoscat.

Et hæc compendiosa quidem sed laboriosa Melancholia

Hypochondriacæ est curatio: quam, cum ægri, laboris

ut pote hujus impatientes, difficulter ſæpe susti-

neant, hinc raro quoque integræ

planè restituntur

sanitati.

DEO  
TRIVNI  
CORPORIS ANIMÆQVE  
MEDICO  
SIT  
LAVS ET GLORIA  
IN  
SEMPITERNA SECVL A.

AD

**AD NOBILISSIMVM ET DOCTISSIMVM**  
**DN. CAROLUM JOACHIMUM FREHERUM**  
NORIMBERGENSEM: MED.CANDID.DI-  
GNISSIMUM, AGNATUM ET COM-  
MENSALEM GRATISSIMUM, CUM DE  
MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA  
PRO SUMMIS IN MEDICINA DOCTO-  
RIS HONORIBUS LEGITIME CONSE-  
QUENDIS, PUBLICE DISPUTARET.

*Q*vid FREHERE juvat claro de stemmate natum,  
Propria quem virtus nobilitare potest?  
Tot Magni Celebresque Viri, tot Lumina Mundi  
TE celebrant, fulges TV quoque luce tuâ,  
Ut dubitem multum sterilis num nostra Thalia  
Debeat in landes versibus ire tuas,  
Scilicet immenso teneras adsperrgere lymphas  
Oceano, & Phæbo conciliare faces:  
Ridiculus labor est, Medicis profectibus opto:  
Cælitùs adspiret Numinis aura Sacri!

Honoris & amoris τεκμήριον

p.

John. JACOBVS VBELIUS,  
S.Th. Administer.

F I N I S.